



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XIX. Gregorii Papae I. Ad Cyprianvm Diaconvm. De obitu
Maximiani, & de episcopo eligendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Mense Februario, indictione decimatercia.

EPISTOLA XIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM.

De obitu Maximiani, & de episcopo eligendo.

Gregorius Cypriano diacono.

AMARISSIMAS tuæ dilectionis epistolas de domni Maximiani obitu mense Nouembris suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata peruenit, sed infelix populus Syracusanæ ciuitatis lugendus est, qui pastorem talem diu habere non meruit. Proinde dilectio tua solicitudinem gerat, vt in eadem ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post dominum Maximianum eiusdem regiminis locum non videatur immerito sortiri. Et quidem credo quod Traianum presbyterum maxima pars eligat, qui, vt dicitur, bonæ mentis est: sed quantum suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inueniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur inuolutus, condescendi ad eum cogente nimia necessitate potest. Si autem mea voluntas ad hanc electionem queritur, tibi secreto indico quod volo: quia nullus mihi in eadem ecclesia post dominum Maximianum tam dignus videtur quam Ioannes archidiaconus Catanensis ecclesiæ. Qui si fieri potest vt eligatur, credo quod apta valde persona inueniatur. Sed ipse quoque prius de criminibus quæ impedire possunt a te secreto requirendus est. A quibus si liber inuentus fuerit, eligi iure potest. Quod si factum fuerit, etiam frater & coepiscopus noster Leo ei cessionem præstare debet, vt liber ad ordinandum possit inueniri. Hæc ergo dilectioni tuæ indicare curauit: tuæ iam solicitudinis intererit, vt omnia sollicite circumspicias, & ea quæ sunt Deo grata disponas.